



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. An in causa pluribus communiunus tantùm appellare possit sine  
cæteris?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

possit Procurator v. g. pater pro filio, aut alius ratione commissionis, &c. modò ratam habeat talem appellationem, cujus nomine appellatum est; quin etiam fieri nonnunquam potest, ut utraque pars litigantium à sententia lata appellare possit, quatenus ea ipsis in diversis articulis contraria est, si tamen à Iudice etiam talis articuli decisio petita fuit: spectanda tamen est consuetudo tribunalium.

## §. II.

*An in causa pluribus communi unus tantum appellare possit sine ceteris?*

Fieri hoc posse, ita ut hujus in causa appellationis victoria, etiam aliis profit, si communi jure juventur, & idem negotium, eademque defensionis causa existat, ex *o. Vna 72. h. t.* patet, si tamen correi fuerint, in eadem causa, & per eandem sententiam condemnati, neque unus illorum sententiam primæ instantiæ expressè vel tacitè approbaverit, cui loci appellatio nihil prodesset, cum sponte suâ ei renuntiaverit, aut tacitè sententia in casu appellationis contra unum ex correis lata, semper alteri correo nocet quoad condemnationem, prout sumitur ex *o. Significasti 5. de adulter.* cum alteri non debeat auferri necessaria defensio, neque præjudicium generari ex condemnatione alterius.



## §. III.

*De aliis nonnullis in specie de quibus dubium esse poterat, an appellare possint?*

Dubitari potest primò, utrum illi qui juravit paritum se mandatum Ecclesiæ, possit non obstante hoc jamento à sententia & præcepto, quod injustè gravari putat, appellare? *re. quæ sic, prout sumitur ex c. Ad hoc 21. de iur.* quia juramentum generaliter præsumitur explicari debet, juxta limites juris & potestatis, neque extendendum ad obligationem iniustam, & iniustè gravantem, & hinc quamvis juraverit aliquis, dum se sententiâ Iudicis, qualitercumque illa fuerit, adhuc tamen, si per sententiam iniquè opprimatur, appellare potest, eò quòd verba hæc generaliter extendant se ad sententiam iniquè gravantem. Si tamen in tali casu firmiter tùm sine justa causa & solius subrepti gratiâ appelletur, nulla est appellatio, prout etiam patet ex *o. quæstioni 2. de iur.* quod Capitulum ne priori contradicatur in hunc sensum accipi debet.

Dubitari potest secundò, an licet appellet Reus, si contra Procuratorem Actoris excipiat in iudicio, quòd mandatum, vel si excipiat, quod coram alio Iudice priùs jam convenerit ex delegatione Papæ, cujus præteriores litteræ nullam mentionem faciunt, & in neutro casu audiat. *re. affirmativè, quòd in utroque casu scilicet licet appellet, prout statutum habetur in c. Significavit 48. h. t.* cum utrobique in iustum ipsi gravamen imponatur.

Dubitari potest tertio, an licet appellet